21

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA

INAUGURALIS

DE

CATARACTA,

EJUSQUE VARIETATIBUS.

AUCTORE EDVARDO FOGARTY.

Inter omnes affectiones locales, quibus obnoxium est corpus humanum, nullae medicorum chirurgorumque attentione digniores mihi videntur, iis, quae istam facultatem visus egregiam afficiunt. Haec considerans, ac mecum perpendens, ad istius vitii explicationem vulgo Cataracta nominati, meipsum accinxi.

A

Lentis crystallinae opacitatem Hippocrates veteresque Graeci γλαυκωμα nominarunt; et Galenus υποχυμας, eodemque tempore infeliciter docuit, lentem esse proximum visionis organum ; quam sententiam, multi ac magni nominis viri secuti sunt, usque ad annum MDCLVI, quum inter multos, Lasnier de hac re obscuritatem detexit. Nihilominus, tamen, multi hypothesin Galeni amplexi sunt, donec postremi initio seculi, libri quos Mery, Mater-Jan, Brisseau, et Heister de hac re scripserunt, veritatem fundamento immutabili posuerunt. Iste medicus nobilis, elegansque scriptor, Celsus, hunc morbum Suffusionem appellat. In classe etiam Localium, in ordine Dysaesthesiae, et in genere Caliginum, in Culleni eximii Synopsi Nosologiae Methodicae reperitur. Quo tempore aut loco hic morbus nomen Cataractae adeptus est, inscius sum ; nec ullo modo nominibus antiquioribus melius videtur : igitur, eo uti coactus sum consuetudine sola, ista rerum dominatrice, sed cum Hey sub eo intelligo,

non quidem lentis crystallinae opacitatem sive capsulae, verum lentem seu capsulam ipsam in statu opaco. " For opacity being only a quality of the crystalline, cannot be depressed or extracted. It is the lens itself, or its capsule, that is the subject of operation. We ought, therefore, to say, that the term *Cataract*, either expresses an opacity of the crystalline, or the crystalline itself, in an opaque state. After this definition, we can speak with propriety of breaking, depressing, or extracting, a cataract *."

DE CATARACTAE HISTORIA.

Ut supra demonstravimus, veram cataractae naturam antiqui penitus nescierunt. Unde orta est Empiricorum classis, qui sibi

---

* Hey's Observations in Surgery, Edit. 2. p. 43.

in oculorum morbos jus unicum vindicarunt, quod valde adversus scientiae eorum verae progressum, hisce temporibus, militabat; itaque quamvis de iis, veteres mentionem faciunt, cum eorum cognitio necessario in obscuritate maxima involuta erat, praeter GALENUM sequi, nil fecerunt, aut perperam de his conjecturam aliquam ineptam mendacemque proponere. "Some attributed cataract to a distemper of the vitreous humour, others to one of the aqueous; by some it was thought to be a condensation of earthy particles; by others a membranous film; it was said by some to be anterior, by others posterior to the pupil; it was often confounded with gutta serena, and sometimes even with opacity of the cornea *." Quanta ignorantia! quanta inscitia ac errore! de re summi momenti versarentur. Nostri temporis, tamen, chirurgi anatomia morborumque phaenominis peritiores, hanc ad medicinae scientiam co-

* Pott's Works by Earle, Edit. Lond. 1808, vol. iii, p. 139.

natibus suis juste adjicerunt, quae ut pars discreta certe nunquam existit, nisi ignorantia ac hominum credulitate, qui seipsos empiricis talibus tradiderunt, et ita fraude iniqua astutiaque paucorum fallebantur.

Libri eximii POTT praecipue et chirurgorum plurimorum seculi proximi, veram cataractae scientiam multum promoverunt; et ii SCARPAE, SAUNDERS, et COOPER, de hac magnam hisce temporibus utilitatem generi humano attulerunt. Primo horum multum debet chirurgia, quia *couching* operationem perfectiorem tutioremque reddidit, et prorsus *extractioni* anteponendam. Secundo, propter exemplum ab illo chirurgis feliciter praebitum, per operationes eleganter exhibitas, in cataractas infantium congenitas; quorum multi, ante liber Dom. SAUNDERS a FARRE vulgatus esset, caecitate, saltem ad annum octavum plectabantur, non solum cum detrimento educationis magno, sed etiam oculi, vitio manente, motum volubilem acquirebant, qui ad vitae ultimum haud raro

permansit; retinaeque etiam, lege omnibus animalium corporum structuris communi, inertia deficiunt *. Dom. Saunders per operationes maturas his malis obstabat, et modum optimum etiam eas tractandi inveniendo, ac belladonnae usum instituendo, causa pupillam amplificandi, quo cognitionem hujus vitii perfectiorem habemus, laudem merito magnam adeptus est: nam, quamvis Ray † esse videtur primus, qui mentionem hujus belladonnae actionis fecit, honos tamen eam adhibendi, et in medium proferendi, Saunders prorsus debetur. Sam. Cooper etiam, nam in ejus libro, cui titulus est "Critical Reflections on the Cataract," modum Professoris Scarpae nos sequi admonet; et quamvis cataractam faustam a "*couching*" mederi posse, ostendit; unde, ut mihi videtur, ista *extractionis* operatio ex toto

---

* Saunders on Diseases of the Eye, by Farre, edit. Lond. 1811, p. 153, et seq.

† Vide Van Swietenii Comment. edit. 2. 1753, tom. iii, p. 363.

negligetur, quae a Daviel * olim, nec immerito profecto, tunc proposita erat ; quia eo tempore, instrumentis adeo rudibus *couching* operatio effecta est, et hominibus, ut inquit Fabricius †, potius casu quam peritia fretis, ut eventus plerumque infelicissimus secutus est.

Ex jam dictis, videtur, cataractae historiam nihil aliud esse quam expositionem erroris unius chirurgorum veterum, qui vanis hypothesibus nitebatur ; et chirurgiae hujus aevi dignitatem, observatione ac anatomiae pathologiaeque scientia nitentis, abunde demonstrat.

---

* Ware's Translation of Wenzell's Treatise on the Cataract, edit. 3. Lond. 1813, pag. 39.

† Fabricii ab Aquapendente opera chirurgica, edit. xxv, Patav. 1666, pag. 213.

CATARACTAE DEFINITIO VARIETATISQUE.

In statu lentis crystallinae vel capsulae ejus opaco, constat cataracta, quo lucis radii in retinam incidere haud sinuntur: et secundum eorum interceptionem, omnis visus depravati gradus ab levi obscuritate ad caecitatem pene perfectam, morbum comitatur.

In quibusdam exemplis, lentis vel capsulae quaedam pars tantum in statu opaco est; saepius vero utriusque tota substantia obfuscatur; et in cataractis plurimis utraque simul morbi particeps est.

Ubi e lente sola formatur cataracta, Lenticularis nominatur, cujus generis species quatuor sunt: Prima, seu Imperfecta existit, ubi lentis quaedam pars facta fuerit opaca, reliqua perlucida remanente: Secunda, seu Firma vocatur, ubi lens modicam aut firmita-

tem insolitam adeptus est; firmitatem quam insolitam Dom. Pott * raro accidere probat: Tertia, seu Mollis evenit, quando sic est cataractae conditio, ut casu recenti mollior evadat; hincque saepe cataracta Casea nominatur: Quarto, seu Fluida, ut nomine denotetur, ex lentis degeneratione in fluidum oritur, lacti simillimum, unde haud raro Lactea appellatur: Dom. Pott opinatur nigram auctorum cataractam fuisse hujus generis translucidam.

Cum a capsula sola formatur cataracta, tunc Membranacea nominatur, cujus duae varietates sunt: Prima, seu Imperfecta, fit, quando quaedam capsulae pars tantum opaca sit, reliqua perlucida remanente: Secunda, seu Perfecta, a capsula omnino opaca formatur; et quia olim, nisi post lentis depressionem non observata est, auctoribus Membranacea Secundaria vocata est; quamvis hoc nomen non inepte inditum, quum

* Pott's Works by Earle, vol. iii, p. 146.

secuti Petit injunctionem chirurgi errabant, evitando capsulae lacerationem * ; hodierno tempore tamen, quoniam evidens omnibus est, faustum operationis exitum, ex magna partis hujus ipsius destructione multum pendere, nomen vitari debet, quod in errorem ducat. Ex operatione male effecta cataractam talem oriri, et particulas etiam capsulae non satis laceratae, ut narrat Scarpa †, coire, iterumque cataractam formare posse, scio. Hi quidem eventus, ab operationibus infeliciter effectis, locum in ordine morborum naturali merere haud mihi videntur ; casusque in quibus oculi structuram delere metuens chirurgus, operatione una morbum extirpare desistit, ad eundem morbum rectius pertinere videntur. Cataractarum tunc membranacearum duas species servavi, earum quaeque cum quibusdam lenticularium conjungi potest, talisque compositio saepissime

---

* Platneri Institutiones Chirurgiae, edit. Lips. 1758, pag. 769.

† Briggs' Translation of Scarpa on Diseases of the Eyes, edit. Lond. 1806, pag. 395.

revera accidit ; at nomina iis diversa haud apponam, quia parum proficit: nusquam, tamen, obliviscendum est, quippe, quia, nunquam deprimendam monet lentem, antequam pars anterior capsulae bene fuerit lacerata.

Quaevis cataractarum adhuc memoratarum hominibus omni vitae gradu contingat ; sed in iis aetate provectis saepius inveniuntur. Sequentes, nisi in casibus neglectis *, pueris propriae sunt.

Cataractae omnes congenitae, primo lenticulares sunt † ; sed plerumque ante annum secundum, semper ante octavum, illis, quae a primo imperfectae fuere, exceptis, lens absorbetur, ac locus ejus cataracta alba vi resiliendi praedita impletur, quae deprimi aut extrahi a SAUNDERS non possit ‡. Quoniam annus secundus faustissimum est tempus ad has removendas §, et tunc etiam, cum supra

* Scarpa on Diseases of the Eyes, by Briggs, p. 387.

† Saunders on Diseases of the Eye, by Farre, p. 132.

‡ Ibid. loco citata.

§ Experientia ab multa, hoc cataractarum extirpationum talium,

dicta exceptione, quia membranaceae sunt; eas dividere in Imperfectam, seu eam in qua lentis centrum opacum est, reliqua translucida remanente, (et quae in sequentis statum, ante mederi potest, converti debet); et in Perfectam supra satis descriptam, ad conclusionem felicem ducere mihi videtur: harum primum Lenticularem, secundum Membranaceam congenitam fert animus nominare.

Ex antecedentibus, deducitur tabula annexa; et nominibus, quae in ea inveniuntur, utendo, obscuritatem vitare spero: quae in hac re nimis frequenter accidit, applicatione nominum ad omnem cataractae speciem variorum; et, ut tabulam magis perspicuam reddam, morbi naturam, ad quem pertinet, nomine utroque exprimere conatus sum; genus vero tertium in species non distribui, praesertim quod pro lenticulare, verbum compositum affigendo, ubicunque opus est, denominatio apta reperitur.

---

vitae tempus a Saunders optimum inveniebatur, p. 153, ejus oper. a Farre.

CLASSIS LOCALIUM, ORDO CATARACTA.

Genus I. Cataractae Lenticulares.

Spec. 1. Cataracta imperfecta lenticularis.
2. ——— firma ———
3. ——— mollis ———
4. ——— fluida ———

II. Cataractae Membranaceae.

5. Cataracta membranacea imperfecta.
6. ———————— perfecta.

III. Cataractae compositae.

IV. Cataractae congenitae.

7. Cataracta congenita lenticularis.
8. ———————— membranacea.

SIGNA OMNIBUS CATARACTIS COMMUNIA.

Cataractae raro summum vehementiae gradum subito attingunt *: plerumque obscuritate visus levi sensim incipiunt; quae paulatim augescit, quaeque per longum tempus aegro ante percipitur, quam ulla pone pupillam opacitas chirurgo observari potest. Vitio ingravescente, ab illo demum observatur, et nunc caligine densissima oculi obumbrantur, ac morbus ad statum ultimum celeriter tendit; quo tanta est cataractae opacitas, ut aeger miserandus lucem a tenebris vix distinguere possit. Morbo jam summum adepto, sic sine mutatione vitae ad ultimam permanserit, nisi operatione remotus fuerit. Notandum est cataractam fieri opaciorem, prout visus caligo augetur; ac a statu per-

* Casus duo tales in " Hey's Observation in Surgery, p. 50. videantur.

lucida ad colorem albidum, aut cinereum, vel flavum, vel fuscum mutari videtur.

Cataractae fere omnes, etiamsi perfectae et compositae sunt, tamen, propter structuram lentis naturalem, cataractae incipientes in centro opacitatem majorem, quam in circuitu semper habent; qui profecto circuitus, hoc tempore, ubi pupilla patula est, apparet ut corona nigra cataractae nucleum circumdans. Hic vero aspectus raro ultimo in morbi gradu manifestus est; quinetiam nunc lucis radii in retinam aliquatenus incidentes per cataractae marginem tenuem, efficiunt, ut aeger eos discernere potest; et res, dummodo non ante pupillam praecise sint sitae, ab hac causa in primis vitii gradibus optime aegro perspiciuntur; unde etiam melior est visus in luce modica quam clara; et in splendida, tanta revera est pupillae contractio, ut cataractae circuitum iris penitus obducat, et caecitas hinc plena supervenit.

CATARACTARUM SIGNA SINGULARUM.

Cataractarum signis generatim perspectis, ut de singulis aliquid dicam, tempus est, quamvis nihil habeo proferendum, quod earum naturam aperte demonstret, imperfectis et congenitis exceptis, donec acus in eas admoveatur; tunc morbi notitiam certam acquirimus, feliciterque satis cito ut nos in operationibus dirigat.

Antequam symptomata enumeramus, quibus cataractae speciem distinguamus, observandum est, cum in hoc tentamine, de statu pupillae dilatato loquor, sub eo statum naturalem in luce modica; cumque de dilatatissimo, ejus statum Atropa Belladonna inductum, intelligo; quo fere tota cataractae facies in conspectum profertur. Satis apparet hoc ad veram ejus naturam cognoscendam multum conferre. Hoc medicamentum, sic

optime adhibendum est. Palpebrae oblini debent ejus extractione, in aqua ad lactis cremoris spissitatem diluta, horae per spatium, antequam oculum perscrutemur *; deinde iris, belladonna abluta, obliterata prope invenitur, ac pupilla mirum in modum amplificata: ut haec belladonnae actio specifica sit, adhaesio, et haec tantum inter iridem ac lentis capsulam pupillae dilatationi obstet oportet.

De cataractis Imperfectis, sive Lenticularibus, sive Membranaceis, nunquam accepimus, nisi visionis axim ipsius occupant. Quum sic sitae sunt, in statu pupillae dilatatissimo distincte aeger res videre potest †; et hoc certo hujus generis cataractas adesse constanter ostendit. Nunc si sub opacitate, in hoc pupillae statu, lentem oblique claram videre possumus, non dubitandum quin cataracta membranacea imperfecta adsit.

Cataracta Firma Lenticularis, colore cinereo aut flavo aut fusco est, et tenuis, parva,

* Saunders on Diseases of the Eye by Farre, page 138.

† Casus talis a Saunders, pag. 210, ejus a Farre oper. notatur.

planaque; pone iridem profunde jacet, et cameram humoris aquosi posteriorem praeter modum capaciorem reddit; propter quam iridis motus expediti liberique sunt. Qui hac specie affliguntur, non lucem tantum a tenebris bene distinguunt, sed in luce modica saepissime fulgentia discernunt. In quo statu pupillae etiam dilatatissimo, cataractarum talium nigra circa nucleos corona, in gradibus etiam ultimis videri potest. Cataracta Mollis Lenticularis fere albida est, faciemque gibbam habet, quae maculis coloris alius plerumque variatur; semper est major, saepe partibus duabus lente sana; forma prope globosa; hinc ad partem iridis posteriorem accedit; motus ejus pigros efficit; pupillam maxime dilatat, cujus margo super faciem ejus tam arcte annexa est, ut pene cameram humoris aquosi posteriorem deleat. Haec in casibus nonnullis ad magnitudinem talem crescit, ut mole sua cataractae transitum ante iridem impedire videtur. Post primum hujus speciei gradum, nigra ejus

corona nucleum circa non evidens est ; et in hac tanta exclusio est lucis, ut caecitatem graviorem, quam cataracta ulla alia, gignet. Cataracta Fluida Lenticularis proxime descriptae adeo similis est, ut una ab altera aegre distinguatur. Utriusque est ampliores lente sana esse ; ambae faciem gibbam maculatamque habent ; ambae iridis motus impediunt ; ambae pupillam dilatant ; ambaeque caecitatem magnam producunt ; nigra circa nucleum cataractae corona, in alterutra earum (etiam in statu pupillae dilatatissimo) post primum gradum non manifesta est. Signa sequentia inter has distinguunt : Maculae super faciem posterioris, non, ut in priore, immobiles sunt, at pressura, aut motu ipsius oculi repentino, positiones mutare, et saepe per temporis punctum prorsus evanescere, coguntur. In statu pupillae dilatatissimo, semicirculus hujus speciei inferior superiore opacior apparet, quod forsan accidit particularum fluidi crassiarum capsulae ad imum depositione.

Dom. Pott * opinatus est judicium de cataractae natura, ex colore ejus tantum non esse ferendum ; nam singulas cataractae lenticularis species, et colorum omnium, viderat : multum cataractae exiguitati, et iridis gradui mobilitatis tribuebat, ex his juste concludens eventum cataractae firmitatis praesagiri, et contra. Porro occipitis dolorem, praesertim firmam, aut comitari aut antecedere putavit, ac subito invasisse ; dum aliae tardius saepissimeque sine dolore.

Cataracta Membranacea Perfecta rarissime nisi in compositione existit. Si in statu pupillae dilatatissimo cataracta eandem prorsus faciem exhibeat, lensque justo nec major nec minor appareat ; si res ante oculos positas, aeque ac has oblique sitas aeger videat ; quinetiam, si visus non magnopere alienetur, quamvis morbus per longum tempus inhaeserit, eam cataractam speciei hujus esse suspicemur, lentemque ipsam incolumem esse.

---

* Pott's Works by Earle, vol. iii, p. 146.

Cataractae Compositae, cum in species distributionem peculiarem nullam requirent, ita neque ullam descriptionem sibi propriam poscunt ; magisque quia perfectissima hujus aevi chirurgia cataractae omnes lenticulares, utpote compositae, tractantur.

Cataractae Congenitae sectione praecedente satis sunt descriptae. Cum a diebus natalibus adsint, hoc sane solum nostram de iis notitiam certissimam reddere sufficit : omni tempore unam ab altera facillime agnoscimus, lenticulare in statu pupillae dilatatissimo faciem gibbam cum nigra planissima corona circa nucleum habente ; dum in membranacea, tota facies plana perfecte et coloris unius est.

CATARACTARUM CAUSAE.

Omnis aetatis, constitutionis, sexusque homines cataractis obnoxii sunt; sed ii post mediam aetatem magis quam juniores; ii etiam quorum oculi ardoribus vehementibus permultum exponuntur, ut vitrarii ac fabri ferrarii, &c. prae aliis. Vi externa nunc iterumque producuntur; sed multae sine causa ulla evidente aggrediuntur.

Quod refert ad causam cataractarum proximam, praeter hypotheses ineptas nihil habemus. Horum rêvera, ac omnium fere morborum, causa proxima, utcunque acriter disputata, ultra hominum investigationem poni mihi videtur: igitur aut in arenam descendere, aut de ea aliquid dicere nolo.

DIAGNOSIS.

Prorsus supervacaneum esset species cataractarum diversas distinguendi modum hic repetere.

An cataracta amaurosi conjungitur, necne, difficile at utile est cognitu. Si lucem a tenebris aeger facile distinguit, eam non adesse in statu vehementi evidens est ; enim quamvis eousque valeat, levis retinae paralysis sit. Ubi in statu pupillae dilatatissimo lucem discernere nequit, non ratio deest cur complicationem talem timeamus : nihilominus, si cataractae mollis lenticularis speciem praebeat, in his etiam retinam esse sanam suspicemur : at si firmam lenticularis manifeste esse apparet cataracta, et si aeger caecitate gravi simul opprimitur, non dubitandum quin amaurosis insanabilis adsit, etiamsi iridis motus sunt naturales, quippe haec iridis

facultas, quae olim sanum retinae statum demonstrare credebatur, nunc recte negligitur; nam amaurosis inveteratae exempla occurrunt, in quibus motiones ejus omnino naturales erant * Ista cataractae mollis lenticularis facultas, qua pupillam dilatat, et motus iridis hebetiores reddit, aliam praebet rationem, quo minus hisce iridis motibus fidem adhibeamus; praeterquam major existit difficultas, inter tales cataractas, quam etiam inter alias cum amaurosi conjunctas dignoscendi. Cum aeger in exemplis talibus lucem discernere possit, optimum tunc discrimen erit.

Quoties inter totam faciem iridis posteriorem, et cataractae capsulam, accidit adhaesio, morbus multiplex cum gradu caecitatis magno producitur; hoc statim belladonnae vi manifestum evadit, quia casum efficit, in

* Has oriri, iride ab ganglio lenticulare nervos ducente, existimat Wenzell, dum ex uno nervo proximum visus organum constat, (Ware's Wenzell, p. 48), talesque seipsum vidisse casus ait; at optimum hujus generis exemplum in "Critical Reflections on the Cataract," p. 61, invenitur.

quo duntaxat pupilla ea non dilatari potest. Adhaesiones hujus generis minores in lucem proferentur, pupillam inordinate dilatando, fixa iride in punctis iis ubi adhaesiones factae fuere.

Cum cancro oculi conjungatur cataracta; capitis dolores morbum perpetuo praecedunt et comitantur. In his casibus pruritus vix et ne vix quidem ferendus oculum et partes ei vicinas simul vexat, qui in dolorem primo levem, postea pungentem, lancinantemque, et demum intolerabilem transit.

A gradu fungi haematodis matura distingui potest cataracta, fungo statum perstantem pupillae dilatatae producente, et tumore ejus fusco, (qui pro cataracta sumptus est) * ; lentis sedes primo profundior naturali pone pupillam videtur : quando demum tam prope iridem venit, ejus facies in statu pupillae dilatatissimo, inaequalis evidenter

* Wardrop's Observations on Fungus Haematodes, p. 11.

semper apparet; et non raro vasis sanguine rubro repletis interstingui videtur: dum, contra, cataractae facies laevis est, neque vasa unquam in illa discernuntur. Gradus hujus et morbi antecedentis provectiores, infeliciter cataractae minus dissimiles sunt: et diagnosis inter hanc et alios oculi morbos aeque perspicua nos de iis verba facere vetat.

PROGNOSIS.

Medicis recentioribus, timores ac falsas antiquorum doctrinas prorsus spernantibus, non diutius audimus de omnis cataractae gradu immaturo, molliore, quo operationem instituere alienissimum esset; et de maturo, firmiore, in quo necesse est. Doctrina paulo antiquior adhuc sententias eorum tamen dirigit, qui unius oculi cataractam attingere nolunt, altero remanente sano. Dom. S.

Cooper ab experientia tamen St. Ives, Mater-Jan et Wenzel probavit, cataractas istas cum eventu felicissimo non tantum remotas fuisse, verum etiam ostendit operationem earum maturam, non modo oculo sano nil nocere, ut hi putant, sed in hoc statu tenere; et principio isto solo, quo objectio nitebatur *, mirabili scilicet inter oculos consensu.

Fausta tunc semper erit prognosis, in omni casu in quo operationem facere licet; et eos casus faustos nominare solemus. Infausti contra operationem interdicunt; ii scilicet, in quibus conjungatur cataracta cum amaurosi aut oculi cancro; nam quamvis aliquis vel localis vel morbus generalis, sicut ophthalmia, aut cephalalgia, vel hysteria, vel syphilis adfuerit, his operatio tantum tardaretur.

---

* Critical Reflections on the Cataract, edit. Lond. 1805, p. 71, et sequentia vide.

CATARACTARUM METHODUS TRACTANDI.

Materia Medica pro medicamentis ad cataractas resolvendas aptis frustra explorata est. Electricitas, cucurbitulae cum ferro temporibus calvarioque admotae sunt. Et medici ptyalismo mercuriali nequicquam usi sint ad hunc effectum producendum. Hyosciami, flammulae Jovis, conii maculati, hydrargyrique submuriatis, usus internus laudatus est; sed haec quidem omnia eventu sine felici adhibita fuere. Chirurgi hodierni cataractas ullas sine operatione revera mederi posse non putant, eas nisi, quae subito vi externa producuntur, quaeque nimirum naturae viribus saepissime sanantur; Dom. Ware * talium curationem, aetheris ad oculum applicatione expediri, affirmat.

* Annotat. ejus in Wenzel on the Cataract, p. 15, vide.

Infeliciter accidit chirurgos (praeconceptis opinionibus saepe nimis addictos), quamvis sic de utilitate, et etiam de necessitate operandi, apud cataractas omnes faustas, inter se dissentione sine ulla concordant; sententias longe aliter habere, de operationis genere adhibendo, unam ex duabus praejudicia anteponendos. Una, *extractio*, adhibita paucis; cujusque non intentionem habeo in hoc opusculo disserere: altera, *couching*, fere ab omnibus, nec immerito, magno pretio aestimatur; de qua igitur (quia mihi etiam placet), et de ejus varietatibus, in sequentibus tractare convenit.

Donec de oculorum morbis liber Professoris Scarpae in lucem edebatur, omnes cataractarum species acubus rectis operatae sunt. Nuper vero acus * ab eo proposita in prioris locum suffecta est; quae pertenuis est, tantoque roboris praedita, ut oculum sine fran-

* In delineatione Figuram I, vide.

gendi periculo intret; et extremitas ejus lente curvata acumine acutissimo terminat: in lateribus aciebus duabus finita est: ab his ad concavitatis centrum planae duae obliquae extenduntur, et hic lineam modice elevatam formant; quae cum aciebus usque ad acumen acus simul continuantur; manubrioli cujus facies in parte extremitatis, ad dorsum congruente, eburnea signatur. Haec scleroticam, aeque facili ac ejusdem roboris recta, penetrat. Ubi caute introducitur, inter iridem lentisque capsulam sita est; priorem versus dorso, et contra ipsam cataractam acie inclinata; in quam eum impellere profunde motus levis sufficit. Chirurgus capsulam hoc instrumento facile lacerare queat; et tunc cataractam transfigens ex visionis axi dirigat, tutoque in humorem vitreum deponat. Cataractae, et membranaceae, et molles lenticulares in fragmenta parvula eo confringantur; opeque ejus acuminis in cameris humoris aquosi anteriorem, sine periculo iridem laedendi per pupillam

dirigantur. Hoc instrumentum Professor Italicus verbis fere hisce describit, commendatque: in ejus libro objectiones attentione dignae contra acum rectam inveniuntur *.

Ubicunque operatio *couching* in adulto peragenda est, sedeat in luce modica oportet, super sellam, cujus dorsum caput ad sustinendum satis altitudinis habet; (nam quam ministri pectus, haec firmior est); tali modo autem, ut lucis radii in oculum e latere cadant; et cum altero etiam oculo, sive sano, sive morbido, panno obducto, ut motus per consensum oculi, in quo operatur, evitetur, ne operationem impediat. Chirurgus, his peractis, et ad ea, quae admonuit LUCAS, probe advertens, "(The principal cautions required in couching are, not to wound the iris or ciliary processes, and not to attempt too much at one operation) †," super sedile aegri altius sedere debet; genuque ad altitu-

* Scarpa on Diseases of the Eye, by Briggs, p. 367, et seq.

† Medical Observations and Inquiries, vol. vi, p. 256.

dinem idoneam elevando, ope scabelli sub pede positi; cubitum sustinere in id, ut manum firmiorem reddat, oportet. Nunc aegri caput firmiter contra sellae dorsum adjuvatore retinendum est; qui palpebram ejus inferiorem, tempore eodem indice, deprimere debet; dum ipse chirurgus, si in oculum sinistrum operaturus, acum SCARPAE manu dextro prehendens, elevatoremque PELLIER* in sinistro, (nam in oculo dextro si efficitur operatio, tunc eum in manu sinistro acum tenere, elevatoremque in dextro oportebit), palpebra superior eo colligenda est, et firme contra spinam superciliariam retinenda: nunc chirurgus annulum digitum et minimum manus acu armati super aegri tempus reponens; et ipsum acum, cum manubriolo, ut calamus scriptorius, ad aegri tempus parallelo, dorso proclivi, et acumine retro tenens; scleroticam transfigat, (postea oculum aeger erga canthum ejus internum verterit), digiti parte

---

* In delineatione Figuram IV, vide.

quinta pone corneae marginem, inter hanc externumque canthum *. Oculi globum intrans instrumentum ad cataractae cacumen fertur; quae cum ejus dorso paululum deprimi debet, ut inter capsulam corpusque ciliare, acus extremitati, sine eorum alterutrius vulnere, transitum faciliorem det. His effectis, et acus acumine per pupillam apparente, caute cum acumine reclinato sub marginem pupillae interiorem dirigenda est, donec fere cataractae finem ulteriorem tetigit; in quam, chirurgo instrumenti manubriolum erga seipsum trahente, impellatur; et ita de cataracta, qua specie sit, judicaret.

Si cataracta firma sit, instrumentum adeo resistet, ut ab eo deprimatur. Nunc chirurgus acus manubriolum seipsum versus

* Si sclerotica digiti parte quinta propius corneae transfigitur, processum ciliarem vulnerandi permagnum periculum erit; et arteriam ciliarem longam evitandi causa, infra pupillae diametrum transversum tranfigi debet; nam hoc vulneratum vas, tantam sanguinis profusionem ejiciat, et chirurgum adeo impediat, ut etiam operationem differre cogeretur.

gerens, late capsulam lacerabit; et cum acumine circuli arcum formans, cataractam in humorem vitreum profunde obruet, (ubi brevi solvatur, absorbeaturque *). Nunc perlucidus oculus pone pupillam apparebit; et acu in situ retenta, donec portiones nullas capsulae opacae pone pupillam appareant, chirurgus certior factus fuerit, quae in cameram humoris aquosi propelli requirent; acui rotationem dabit, qua, ea a cataracta extricata, ejus manubriolum revertendo ad aegri tempus, eam ex oculo detrahere debet †. At si cataracta mollis lenticularis sit, non locum mutabit, quando eam penetrat acus, quia ejus substantiam facile intrat. Nunc chirurgus, non, ut in ultimo, circuli arcum formabit; sed erga aegri tempus acus manubriolum reclinabit, ita ut acu-

---

* Scarpa oculorum trium dissectionis, et Pott unius, quae hoc probant, mentionem fecerant. Scarpa on Diseases of the Eye by Briggs, pag. 362; and Pott's Works by Earle, vol. iii, p. 159.

† Cum paucis haud magnis differentiis, hic Professoris Italici sit modus. Scarpa on Diseases of the Eye by Briggs, pag. 374, et seq.

minis dorsum iterum per pupillam in conspectum redeat. Nunc erit consilium, primum capsulam late lacerare, quod acus acumine peragere non difficile erit; cumque tantum ejus laceraverit, ut nulla pars remanentis ejus circuitus, ultra pupillam, ubi dilatatur, pergat, tunc cataractam crebris et ictibus levibus perfringere; et vel in situ naturali, ut fragmenta remanentia, sinere, aut in cameram humoris aquosi anteriorem portiones majores propellere, ubi citius, ut dicit SCARPA, quam in camera ejus posteriore absorbentur *. Ab situ tamen pone iridem, temporis progressu, prorsus evanescere inveniuntur †. At si cataracta fluida lenticularis sit, ubicunque acu penetratur, fluida ejus lactea per humoris aquosi cameras effundetur; sic ut ab chirurgi visu iridem et acum prohibeat. Sub his conditionibus, una cum SAUNDERS ‡, ex oculo acum extra-

* Scarpa on Diseases of the Eye by Briggs, pag. 364.

† Pott's Works by Earle, vol. iii, pag. 156.

‡ Saunders on Diseases of the Eye by Farre, pag. 144.

here optimum existimo; et donec statum ejus perlucidum humor aquosus, fluidi effusi absorptione, recuperaverit, operationem differre. Hoc plerumque hebdomada, diebusve duodecim accidit; et erit tunc cataractae congenitus membranaceus status, quae operatione in speciem eam sanabitur.

Cataractae Membranaceae, an perfectae an imperfectae, operatione eadem, ac firmae lenticulares, tractantur. Cum lens revera sub his sana est, si fieri potest, servari debet, dicatur. Qui hoc conari velint, acu Scarpae, modo supra commemorato, in oculum introducto, capsulae opacae portionem circularem, magnitudine pupillam dilatatam adaequantem facile dissecant, eamque in cameram humoris aquosi anteriorem protrudant. Rationes gravissimae tamen operationem contra talem existunt; nam, ut nihil dicam de lente opaca evadente, ab ea denudata, in eam humoris aquosi actione, aut etiam solutione in ea, non dubitandum sit, quin lens ita denudata, ubicunque caput

aut oculus ipse velocitate ulla insolita movetur, a capsula antrorsum salieret ; et ita iridis inflammatio, cum pupilla occlusa, ejus sequela, produceretur ; aut etiam oculi partis internae suppuratio, atque destructio.

Cataracta Congenita Lenticularis. Aegri pupilla belladonna dilatata, supinus in mensam fenestrae objectam jacere debet ; oculo, in quo operatur, longius ex luce remoto ; et in hac positura numero adjuvatorum idoneo firme teneri debet ; quorum unus caput ejus tantum cohibebit ; id ita tenens, ut non chirurgum manibus impediat ; dum indice palpebram inferiorem simul deprimet. Ipse chirurgus pone pueri caput in sella alta sedens, sub superiorem elevatoris PELLIER arcum introducat, et in eum modice premens, quia assidue in aegris talibus volvit *, oculum immobilem reddat : Nunc recta SAUNDERS acu † corneam penetrabit, tam prope ad ejus

* Saunders on Diseases of the Eye, by Farre, p. xviii.

† In Delineatione Figuras II et III vide.

sclerotica junctionem, ut transire iridi parallelam sine ejus laesione, facies acus planam admitteret. Acu sic ad cataractam admota, ejus capsula incisione, linea in longitudine dividi debet * : cataracta seipsa nunc et profunde et libere est penetranda per totum incisionis tractum : Tunc extrahitur acus, et tempore aut longiore aut breviore mutabitur casus in unum cataractae membranaceae congenitae similem. In qua specie, gradibus ultimo dictis praecedentibus peractis, et acu cataractae centrum attacta, (quod saepe lentis pristinae squamo occupatur †,) huic puncto operationes suas coerceret chirurgus: ibi lente operans, donec in ejus centro praecise foramen acus acumine efficeret : hoc perfecto motionem similem circa ejus circuitum continuet, donec cataractae tantum deleverit ut visus ab ejus circuitu permanente,

* Capsulae a Saunders portionem destruere circularem monemur, (ejus a Farre oper. p. 142. vid.) ; at cum illo in hoc assentiri non possum, quia lentis antrorsum salientis post talem dissectionem permagnum fore periculum, puto.

† Saunders on Diseases of the Eye, by Farre, p. 145.

in statu pupillae dilatato, non vitiabitur : acu tunc caute extracta, operatio finietur *.

Operatio secunda in cataractam fluidam lenticularem, et operatio in cataractam auctorum secundariam, si occurreret; (quae non revera accideret, modo ad operationes supra descriptas peragendas attentio adhibita fuerit,) modo eodem, ut ea proxime descripta, instituenda ; cum hoc attamen discrimine, quod, cum in adultum efficitur operatio, eum cohiberi situ supino non necesse erit. Ut hae operationes optatum eventum habeant, necesse est in membrani centro foramen efficere, antequam vulneratur ejus circuitus ; nam si hoc accideret, difficillimum foret foramen in situ apto formare, in ejus centro scilicet, pone pupillam accurate ; ut membranae portio tali vulnere liberata omne conamen acus acumine factum eam prehen-

* Hic fere est modus a Saunders institutus, cataractas et lenticulares et membranaceas congenitas tractandi. Saunders on Diseases of the Eye, by Farre, a pag. 150 ad 140.

dere effugeret *. In hoc statu ab operatione desistere cogeretur chirurgus, donec inflammatione adhaesiva portio sejuncta membranae circumjacenti iterum annexa fuerit; quum demum cura majore operationem redintegrare debet.

Si post operationum ullam antecedentium inflammationis gradus vehemens supervenerit, venaesectionis ope, hirudinum, remediorumque purgantium et diaphoreticorum, denique ratione antiphlogistica ad aegri constitutionem adaptata, est vincendus. Revera, nisi inflammationis talis accessio, nihil aliud earum eventum secundum frustrari queat. Utque eam perstudiose caveamus, aegrum ad cibum parcum cohibere oportet, et ante et post effecta sunt: vespere, ante harum ulla peragenda est, sodae phosphate aegri alvus dejiciatur; si opus est, enema injiciatur; et si humoribus abundat, sanguis, mane proxima, ex rivo pleno emittatur. Cum

* Saunders on Diseases of the Eye, by Farre, p. 145.

umbra tantum supra oculos, quia eos multum velare malum est, post operationem aegrum in camera obscura detinere oportet: mane nocteque oculus lavari debet, aqua tepida cum lacte mista, spongiae mollis ope, quod materiam glutinosam cilii tarsique prorsus tollit *. Tribus aut diebus quatuor ex lecto surgat aeger, si signa infausta nulla institerint; et in cameram gradatim admittatur lux, donec diebus paucis oculus diem clarum ferre valeat; et nunc, si cataracta adsit altera, eam amovere tempus est. A quibusdam sane, cataractas duas tempore eodem removere admoniti sumus: perpauci tamen huic assentiunt; sed, ut hoc praetermittam, evidens est, cum inter oculos consensum tantum videmus, inflammationis vehementis ingredientis multo gravius instare periculum, post cataractas duas sublatas, quam, post operationem unam, accidere potest.

---

* Scarpa on Diseases of the Eye, by Briggs, p. 390.

Videtur itaque cataractam omnem faustam ab operatione *couching* tolli posse ; et casum multiplicem, quo in membranam unam pone pupillae marginem iris capsulaque accreverint, modo sequente, ut puto, tractetur; (nam quod ad adhaesiones inter has leviores attinet, aut ante operationem, belladonnae applicatione frequente, eas superemus, aut ubi operamur cum acus acumine). Gradibus primariis peractis, modo per corneam antea dicto acum Saunders introducens chirurgus, capsulam prope a margine, et per pupillae circuitum, ne iridem vulneret cavens, dissecet: nunc acus acumine, portionem capsulae circularem hac dissectione disjunctam elevare, et eam in cameram humoris aquosi anteriorem deponere debet ; deinde acus acumen adversus cataractam dirigens, ejus structuram perfringere, ad magnitudinem tantam, uti per pupillam licebit, oportet ; et tunc modo solito acum extrahere *. Vi-

* In hac operatione per corneam, nulla utimur belladonna, ne iris capsulae sectione liberata, et sese subito dilatans, efficeret ut saliret lens antrorsum.

sum restaurare in hujus generis casibus, operationibus tribus quatuorve talibus, sperarem; nam haec est Saunders modi imitatio contra cataractas perfectas lenticulares, quas, tribus aut quatuor operationibus ad eam proxime descriptam similibus removere posse, invenit *.

Capitis hujus ultimi fere omnia cum Scarpae et Saunders sententiis consentiunt. Ab iis certe rebus multis ac non parvulis dissentire ausus sum; et sane haud arroganter, sed tantum sub eruditorum emendatione, (qui hujusmodi opuscula conscribenda praecipiunt,) si erravisse mihi infeliciter accidit.

---

* Saunders on Diseases of the Eye, by Farre, p. 168 et seq.

FINIS.


Delineationis Explicatio.

Fig. I. Acum Scarpae repraesentat; et " 0 " extremitatem ejus curvatam, ut microscopio videtur.

Fig. II. Acum Saunders repraesentat; ad centrum ab manubriolo rotunda est; ad acumen usque ab hoc gradatim in faciebus duabus opponentibus plana fit, ita ut pertenuis facilisque flectu fiat apicem versus: in lateribus acies duas secantes habet, quae paululum ultra extremitatis angulos extenduntur; ab acumine ad manubriolum leviter augetur; et in manubrioli facie ebur etiam inseritur, quae cum facie plana acus unius lateris congruet, ut ab latere in Fig. III. videtur.

Fig. IV. Elevator Pellier, ut a Saunders usui aptior redditur, quia magnitudine differunt arcus, flexusque eorum non tam magni, ut olim; ergo instrumentum, dum satis aptum ad operationes per scleroticam sit, peridoneum ad eas per corneam fit.

In figuris, instrumenta satis ampla ad operationes perficiendas videntur: notandum est etiam acus, non puncturam quidem, at incisionem, propter acies earum acutas efficere.


I
II
III
IV